

restituere famam, et apud suos immediatos auditores, et apud alios mediatos, ad quos criminis infamia pervenit. Et ratio est, quia in primo sensu infamia per auditores immediatos detractoris irrogata per manifestationem criminis aliis factam, est omnino præter intentionem, et fortuita respectu primi detractoris. In secundo autem sensu detractor sua manifestatione censetur causa efficax infamiae apud omnes; Diana part. 3, resol. 34, in fin. Villalobos in Summa tom. 2. tract. 11, difficul. 37. Lessius l. c. n. 111. Petrus Navarra lib. 2, cap. 4, n. 443. Rosignol. de Restitut. 2, prænot. 1, n. 6. Dicastil. de Restitut. d. 2, dub. 6, a n. 168. Lugo disp. 15, sect. 3, n. 15. Sporer. l. c. n. 101. Tamburin, et alii passim.

(6. Si ex infamia, quam alteri causavit detractor, sive falsum crimen narrando, sive occultum prodendo, ortum est ipsi etiam damnum fortunarum, ut si privatus est officio, excidit spe divitis, seu nobilis Matrimonii, amisit dotem etc. tunc debet integram compensationem facere prudentis viri arbitrio. Est communis cum Navarro c. 28, n. 45. Less. l. c. dub. 19. Layman. l. c. n. 4.

(7. Si ipse detractor non satisfecerit vivus læso in bonis fortunæ, tenentur satisfacere ipsius hæredes, sive ipsi læso, seu damnificato, si adhuc vivat, sive ejus hæredibus, si fuerit mortuus. Et ratio primæ partis est, quia hæc obligatio compensationis, quoad damna temporalia non est mere personalis, sed afficit bona detractoris, quæ cum tali onere transeunt ad successores, et sicuti tenentur hæredes ex bonis testatoris damnum compensare, quod idem testator intulit comburendo v. gr. injuste domum alterius, ita tenentur hic. Ratio secundæ partis est, quia hæredes in ordine ad bona fortunæ induunt ipsam personam defuncti, ejusque jura acquirunt in ordine ad hæreditatem, hæc enim jura sunt veluti pars hæreditatis. Ita Navarr. in Manual. cap. 18, n. 45; Adrian. quodlib. 11. Lessius loc. cit. dub. 21, num. 113. Layman loc. cit. num. 4. Busemb. loco cit. n. 4, et alii (8. Non tenentur tamen hæredes infamatoris ad restitutionem famæ, si eam ipse non restituit, quia hæc obligatio est mere personalis, neque infamatoris personam transgreditur, unde solummodo afficit, vel respicit bona, in quibus hæredes succedunt, adeoque etc. Lessius l. c. dub. 21, n. 111. Laym. l. c. n. 4. Petr. Navarra. l. c. n. 246. Busemb. l. c. num. 4, et alii (9. Tenetur autem ipse detractor, si supervixerit ei, cui detraxit, famam ipsi restituere, quamvis defuncto, quia fama est bonum, quod homo etiam post mortem communi existimatione censetur possidere, per hanc enim vivit quodammodo in memoria hominum, et per hoc Eccles. 7, dicitur: *Mortuo ne prohibeas gratiam*, unde qui aliquem viventem graviter infamavit, debet ei quamvis mortuo famam restituere, sicuti tenetur defuncto famam restituere, qui ei jam defuncto detraxit, ut patet artic. antecedenti num. 39. Lessius loco cit. dub.

21, num. 114. Layman l. c. n. 13. Molin. cit. disp. 28. Petr. Nav. l. c. n. 351, et alii comm.

(10. Qui aliquem infamavit plane inadvertenter, et sine culpa, putans rem, v. gr. a se narratam esse publicam, cum esset occulta, vel esse veram, cum esset falsa, talis, id postea cognoscens, tenetur ex justitia restituere famam, si possit absque suo gravi incommodo. Sic Molina tom. 5, disp. 40, n. 3. Lugo disp. 15, n. 4. Lessius loco cit. cap. 11, dub. 22. Sporer. loco cit. num. 86. La Croix l. c. num. 1243, et alii communiter contra paucos volentes esse obligationem tantum ex Charitate. Et ratio est, quia justitia non solum obligat, ne quis det causam injusti damni proximi, sed etiam obligat ut illam causam damnosam forte quoquo modo a se positam, postea auferat, ideoque quicumque causam posuit, unde postea intelligit alteri damnum injustum oriturum, is ex justitia obligatur causam a se positam tollere, si adhuc utiliter, et sine suo gravi incommodo possit; aliter si causam a se positam, cum facile possit, non removeat, censetur adhuc et de novo velle effectum, et damnum illud, quod ex causa posita oriturum prospicit. Si enim v. gr. per omnimodam inadvertentiam, et inculpate alicui venenum quis propinavit, et hunc inculpabilem errorem cognoscat adhuc in tempore, quo mors impediri possit, tenetur utiqueis sub mortali impedire, si absque suo gravi incommodo possit, et hoc ex justitia, quia saltem materialiter causam mortis posuit (ex charitate enim, ut recte observat meus Sporer l. c., tenetur quilibet alias facile talem mortem impedire potens, qui nullam posuisset causam). Sic a pari qui inadvertenter et inculpabiliter dedit causam injustæ infamiae narrando crimen proximi occultum, quod putabat publicum seu falsum, quod putabat verum, postea tali errore cognito, et damno proximi, tenetur ex justitia eam causam tollere, et famam reparare, si possit absque suo gravi incommodo, quia ex illo tunc perduratio talis infamiae jam fieret ipsi voluntaria, et consequenter injusta, et moraliter ipsi imputabilis. (11. Non obligatur autem talis materialis detractor ad compensanda, seu reparanda damna secuta ante cognitum suum errorem; adhuc ipso in bona fide persistente, quia pro illis in nulla culpa fuit, quamdiu errorem suum non advertit; Sic ex communi Lugo loc. cit. 5. Sporer loc. c. 86. La Croix loc. cit. num. 1244. (12. Sunt tamen reparanda, seu compensanda damna illa, quæ sequuntur ex dilata culpabiliter restitutione famæ, quia ex illo tunc jam talis detractor de materiali evadit formalis detractor, et incipit esse in gravi culpa contra justitiam, cum negligat culpabiliter impedire infamiam proximi, et damna inde sequentia, et tenetur ex justitia; sicuti jam fuit abunde probatum. Ita ex communi Doctores mox citati. (13. Sic etiam qui de Caio revelans grave crimen, advertit audientes per errorem intelligere de Titio, tenetur ex justitia restituere Titio, quia revera ex tali revelatione occasionaliter saltem sequitur

iste error audientium, et consequenter infamiam Titii apud audientes; Molina l. c. n. 3. Lugo l. c. n. 6. Sporer loco citato num. 87. La Croix loc. cit. num. 1245, contra Lessium loco cit. num. 119, qui dicit teneri tantum ex charitate auferre errorem audientium.

(14. Causæ excusantes a restitutione famæ variæ a Doctoribus assignantur, præcipuè tamen sunt sequentes. Prima causa est spontanea condonatio facta ab eo cujus infamia non redundat in alios; quilibet enim est dominus propriæ famæ; adeoque si infamatio ipsum solum tangat, nec redundet in alios, potest cedere juri restitutionis famæ, ejusque obligationem alteri condonare, præsertim propter Deum, aut alium honestum finem. (15. Secunda est, si ex cujuspiam oblocutione, seu detractioe proximo nullum secutum est damnum famæ vel honoris, quatenus auditores prudentes non crediderunt, ex quo detractor nullius erat fidei, utpote solitus mentiri, et detrahere; vel quia illi, apud quos detraxit, jam sciebant crimen illud, vel saltem jam sciebant similia, et forsan pejora, ita ut infamia non fuerit aucta; et ratio est clara, quia quod re ipsa ablatum non est, hoc ipso restitui non debet. (16. Tertia est justa compensatio, ut si ab eo, quem infamasti, pari modo sis infamatus, et is tibi famam restituere nolit, quia tunc uteris justa compensatione, si infamia non redundet in alios. (17. Quarta est, si id, quod contra bonam famam alterius quis locutus est, jam in oblivione abiisse prudenter existimatur, quia in tali casu censetur damnum illatum

## DIACONATUS.

Vide verb. ORDO, art. 1. num. 43, 44 et 45.

## DIACONUS.

## SUMMARIUM.

1. Diaconi Orientalis Eccl. ordinati in statu cælibi nequeunt Matrimonium contrahere. — 2. De Dia-

(1. Diaconi Orientalis Ecclesiæ, qui ordinati fuerint in statu cælibi, non possunt Matrimonium contrahere; Bened. XIV. T. 1. Constit. 129. incip. *Eo quamvis tempore* § 36 et 37. (2. Et si quod contraxerint, non solum illicitum est, sed etiam nullum; Idem ib. § 38. et 39.

(3. Diaconi apud Cophtos ordinati in infantili ætate, postquam ordinationem suam ratam habuerint, Matrimonium inire nequeunt; idem *ibid.* § 40. (4. Etiam post ejuratum schisma; Idem *ibid.* § 41. (5. Si in schismate degentes Ordinationem ratam habuerint, deindeque Matrimonium contraxerint, an redeuntibus ad Ecclesiam indulgentia sit dispensatio, ut uxores valeant retinere, quamvis exempla hujusmodi dispensationis afferant, adhuc Pontifex hæret, et ut firmo pede, ut ait, deliberare possit, certiorari a Missionariis expetit de pluribus, quæ assignat; Idem *ibid.* § 47, ad 54.

## ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(6. Diaconus Græcæ idem est, ac Minister;

FERRAR. III.

omnino evanuisse, et probabilius esset, memoriam delicti tali restitutione renovari. (18. Quinta est, si fama ablata jam fuit recuperata per aliam viam, ut per testimonium gravium virorum fide dignorum, vel per exemplaris vitæ probitatem, vel per alium consimilem modum. (19. Sexta est, si crimen occultum, quod quis aliquibus revelavit, alia ratione fiat publicum, tunc enim amisit jus restitutionis. (20. Septima est, si bona fide quis persuasus esse verum, et publicum narravit aliquid, et proximum diffamavit, nec possit sine propria infamia, vel magno damno fortunarum restituere, tunc excusatur a restitutione. (21. Octava est, si restitutio famæ non possit fieri sine periculo vitæ; quia generatim nemo tenetur restituere bona ordinis inferioris detrimento bonorum ordinis superioris; vita autem bonum est altioris, et superioris ordinis, quam sit fama. (22. Nona est, si non possit quis facere restitutionem famæ alienæ, nisi cum jactura propriæ famæ, quæ sit longe majoris momenti; Sic Prælati non tenentur restituere famam personæ vili, nec vir valde illustris plebeo, sed sufficit si illum laudet in eo genere virtutis, ubi sic infamavit, vel alio meliori modo commendat; Et ratio est, quia persona vilis seu plebea nequit cum ratione exigere, ut talis Prælati, vel vir valde illustris, Reipublicæ adeo utilis, suam famam tanti momenti amittat pro restituenda sibi ablata, quæ sit parvi, seu nullius momenti. (23. Decima est, si famæ restitutio facta sit impossibilis, cum ad impossibile nemo teneatur.

conis apud Cophtos. — 3. De Diaconi appellatione. — 4. Diaconorum institutio. — 5. De eorum numero. — 6. 15. De eorum officiis.

unde etiam Levitæ passim a Patribus Diaconi nostri appellantur, quod scilicet quemadmodum Levitæ in veteri Testamento Sacerdotio subserviebant, ita et nostri Sacerdotibus in obeundis sacris ipsorum officiis subserviant.

(7. Ex occasione murmuris Græcorum, de quo Act. 6, ad mensarum ministerium creati fuerunt ab Apostolis septem Diaconi; primarius vero eorum finis, ac scopus fuit, ut rebus sacris, ac divinis inservirent: quod adversus Novatores Theologi nostri Bellarminus, Natalis Alexander, Turnelius ostendunt.

(8. Neque audiendus Vasquezus, qui disp. 236, cap. 4, num. 48, seq., negat, septem horum Diaconorum in Actis narratam institutionem ullum sacrum ministerium spectasse, sed unam mensarum, et rerum Ecclesiæ temporalium administrationem. Nam licet ille cap. 5, fateatur (quod Novatores inficiantur) Diaconatum esse verum Sacramentum, et divinæ quidem institutionis, licet diversæ, seu diverso tempore factæ ab

eo, quæ Act. 6, refertur; tamen ex antiquissima Patrum traditione, et omnium Ecclesiarum, in quibus Hierosolymitanorum exemplo septem ad sacrum ministerium Diaconi delecti sunt, consuetudine discimus, non aliter primam illam Apostolorum institutionem explicandam, quam uti docuimus; neque alterius eorum institutionis Scriptura meminit, atque aliam fingere cum Vasquezio, inquit Turnelius, *divinare est*.

(9. Habent autem Diaconi ex sua ordinatione: 1. ut Sacerdoti sacra solemniter celebranti inservire debeant. Hinc eorum erat inter Missarum solemnias animos fidelium ad attentionem subinde excitare; monere tum Catechumenos, tum poenitentes, ut discederent; Eucharistiam saltem jubente Sacerdote, populo administrare, non tamen Presbyteris, id enim vetuit Nicænus Canon. 18.

(10. 2. Ut jubente Episcopo, vel Presbytero, Baptismum possint administrare. « Nam sine Episcopi jussione, » inquit S. Hieronymus Dial. advers. Luciferian., « neque Presbyter, neque Diaconus jus habet baptizandi. »

## DIACONISSÆ.

## ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

## SUMMARIUM.

1. 2. De Diaconissarum officiis. — 3. Quanam

(1. Diaconissarum in Ecclesia primitiva jam inde ab Apostolorum ætate (1) multiplex erat officium ut ex Clemente Papa Romano S. Petri discipulo, (2) ex Ignatio, atque ex Epiphano, aliisque veteribus colligitur. Ignatius quidem epist. 12, ad Antiochenos (3) curam illis attribuit januarum Sanctorum vestibulorum, scilicet ejus partis Ecclesiæ ad quam solæ feminae admittebantur. His enim Diaconissæ præficebantur. Saluto in Christo Diaconissas Sacrorum vestibulorum custodes. Quemadmodum etiam januis locorum, ad quæ soli viri conveniebant janitores, quos pariter ibidem Ignatius salutat *πυλῶνες*.

(2. S. Martyr Clemens Papa lib. 3 Constit. cap. 15 et 16, hæc pariter Diaconissis assignat officia, ut scilicet pia Sacerdotum, et Diaconorum mandata apud feminas exquantur; sive distribuendarum eleemosynarum, sive mutuarum reconciliationum, sive sanctorum admonitionum, aut jussionum Ecclesiasticarum, sive catecheseos ejusdem sexus gratia. Sic enim præcavebatur, ne Clericorum cum feminis conversationes fomitem suggererent vel peccatis, vel suspicionibus pravis. Adjungit ibid. munus Diaconissarum versari circa catechizandas catechumenas, et prospiciendum, ne qua hora vestibus exuebantur ad baptismum, vel baptizate in vertice a Sacerdote perun-

(1) Quæ hactenus de Diaconissis dedimus ex Cassutio prompta sunt: in quo tamen emendanda nonnulla, nonnulla addenda. Primum itaque iis, quæ mox sequuntur, veterum testimoniis præmittenda erant aliqua Novi fœderis loca, in quibus diaconissarum injicitur mentio, ut Rom. XIII ubi Paulus

(11. 3. Ut Evangelium legant, aut etiam (quod statuit Concilium Vasense Canon. 2.) « Si presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homilias recitent. Aliquando tamen fuit ab antiquis concessum aliquibus doctrinæ præstantioribus, ut publice verbum Dei ipsi annunciarent. Vid. Morinum Exercit. 9, pag. 180.

(12. 4. Ut urgente necessitate, poenitentes reconcilient (quod olim vigente publica Poenitentia illis datum) non quidem Sacramentalem impertiendo absolutionem, sed vel ministrando communionem, quæ signum erat reconciliationis, vel canonicam dumtaxat, et cæremonialem nomine Episcoporum absolutionem deferendo.

(13. 5. Ut afflictiorum curam habeant, et dispensationis thesauri Ecclesiæ, unde hospitales domos, quibus præerant, vulgo *Diaconias* dictas accepimus.

De his, aliisque ad Diaconos pertinentibus consule Habertum in notis ad Pontificale Græcorum p. 183, seq. Selvagium Antiq. Christian. lib. 1, p. 11, c. 2; et Chardonium in Historia Sacramentorum.

ætate eligebantur. — 4. Quadraginta annorum ætas necessaria Virginibus et sacris Monialibus. — 5. Diaconissar. habitus. — 6. 7. De earum ordinatione.

gebantur, quidquam præter decorum ad spectui, vel contactui Sacerdotis occurreret: ipsæque Diaconissæ reliquas unctiones in multis Ecclesiis suis manibus prosequerentur. Eadem similiter scribit Epiphanius hæresi 79, quæ est Collyridianorum. Concilium pariter Carthagin. sub Anastasio Papa quartum can. 12, præscribit diaconissis ministerium instruendi feminas Baptismi fonte abluendas.

(3. Videndum nunc de viduis Diaconissis, quali ætate eligebantur, quoniam habitu vestiebantur, et utrum impositione manus tales constituerentur. Quod in primis ad earum spectat ætatem providet Apostol. 1 ad Timoth. 5, *ut eligantur viduæ non minus sexaginta annorum, neque bigamæ*. Tert. lib. de veland. Virginibus hæc loquitur de Diaconissis: « ad quam Sedem præter annos sexaginta non eliguntur. » His ad stipulatur S. Hieronymus in Isaïæ c. 3: « Nec Ecclesiasticis vidua sustentatur alimentis nisi quæ sexaginta annorum est, et maturitatem habet pariter morum, et ætatis. » Extat pariter constitutio Theodosii Senioris Augusti, cujus meminit Sozomenus l. 7, cap. 16, quæque legitur in codice Theodosiano de *Episcop. et Cler.* leg. 27. « ut nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundum Apostoli præceptum, ad Diaconissarum consortium promoveatur. »

Phœbem appellat *Ministram Ecclesiæ Cenchreensis*.

(2) Indicat hic auctor, quas vulgo dicimus, Clementis Apostolicas Constitutiones. Verum inter eruditos plane nunc constat, eas S. Clementi I abjudicandas esse.

(3) Et hæc Ignatii M. epistola apocrypha est

(4. De virginibus quidem, et Sacris Monialibus, quia inclusæ, neque totidem, ac Diaconissæ muneribus exterioribus addictæ erant, sufficiebat ad velamen suscipiendum annorum quadraginta ætas. Auctor quidem vitæ S. Leonis Papæ primi, quæ est in Pontificali, sic de hoc attestatur: « Hic quoque constituit, ut Monachæ non acciperent velaminis capitis benedictionem, nisi probatæ fuerint in Virginitate sexaginta (aut, ut Codices regii referunt, *sexaginta novem*) annis. » Verumtamen nihil tale prorsus in tanti Pontificis, quæ plurima exstant, decretis reperiri potest. Quinimmo Synodus œcumenica Chalcedonensis, quæ S. Leone Papa auctore celebrata fuit, cuique idem per Legatos ex suo latere missos præsedit, quam et sua roboravit confirmatione, præfixit solum Diaconissis ordinandis annum quadragessimum ætatis, can. 15. Quin etiam, eodem S. Pontifice Leone suadente, Majoranus Augustus edixit Novella 8, ne qua virgo a suis parentibus oblata sacrum velamen accipiat ante quadragessimum ætatis annum. Eaque limitatur constitutio in illis, quæ a parentibus offerrentur, ad consulendum puellarum libertati, ne qua vis, aut coactio a progenitoribus fieret. Quamvis autem in illis Ecclesiæ primordiis providerit Apostolus, Diaconissas non admitti ante annos ætatis 60, processu temporum illa præfinitio annorum sensim laxata fuit, et ad annos ætatis quadraginta restricta est, ut perspicuum fit per memoratum Chalcedonensem canonem, et insuper conformem Agathensis Concilii can. 19, qui tamen non de Diaconissis, sed de Sanctimonialibus velandis sic decernit: « Sanctimoniales quamlibet vita earum, et mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragessimum non velentur. » Qui canon falso a Gratiano attribuitur Concilio Carthag. III, can. *Sanctimoniales* 20, q. 1. Concilium in Trullo quinisextum can. 14, et Wormatiense can. 73, Diaconissas expresse vetant ordinari, sicut et Chalcedonensis can. 15, antequam attigerint quadragessimum ætatis annum (1).

(5. Diaconissarum habitum fuisse a sæculari distinctum probat Concilium IV Carthag. can. 104, his verbis: « Viduæ, quæ se devoverunt Domino, et veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi, et Ecclesiæ in religioso habitu apparuerint. » Et qui præcedit can. 103, eisdem dicit stipendiis Ecclesiarum sustentari. Concilium pariter Tolentanum quartum can. 55, hæc de distinctis ab habitu sæculari vestibus enunciat: « Quæ forma servabatur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac poenitentibus feminis, quæ sanctimonialium habitum induerunt, et postea, aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt. » Viduas tamen, quales

(1) At non desunt exempla Diaconissarum, quæ juvenili ætate electæ fuerint, nec solum viduæ, ut Olympias, de qua Sozomenus lib. 8, cap. 9, sed etiam virgines, in quo sane episcopi potius virtutis et modestiæ quam ætatis rationem habuerunt. Nec omitendum, eas quæ eligebantur, viduas ex Apo-

erant Diaconissæ, velari omnino prohibet Gelasius Papa epistola 9 ad Lucanos, et Siculos can. 13. De Virginum porro, et Viduarum, quæ stipendiis Ecclesiarum alebantur, incumbente Episcopis sollicitudine, multa refert Chrysostomus, l. 3 de Sacerdotio, sub cujus postea Episcopatu Ecclesiam eximia sanctimonia decorarunt Diaconissæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Olympias, Pentavia, Salvina, quæ de primariis totius Imperii prosapiis ortæ, et maritis dignitate toto orbe præcipuis orbatæ, distributis in egenos amplissimis opibus, sese paupertati, humilitati, et Ecclesiæ obsequiis addixere. Neque vero hic omittendum alterum præter superius relata Diaconissarum officium ex Hieronymo *epistola ad Nepotianum*, scilicet ægrotorum cura, et ministerium: « Multas, inquit, anus nutrit Ecclesia, quæ et officium præbeant, et beneficium recipiant ministrando, ut infirmitas tua fructum quoque habeat Eleemosynæ. »

(6. Superest ut de earum ordinationibus disseramus. Etiamsi doctissimus Baronius ad an. Chr. 34, n. 288, innixus, ut ipse autumat, Nicæna Synodi can. 19, scribat nullam olim fuisse in Diaconissis consecrandis adhibitam manuum impositionem (2); alii tamen antiqui canones manuum impositione solitas illas ordinari confirmant. Nicænus vero canon nihil istis obsistit: loquitur enim speciatim de Paulinistarum baptismo, quem declarat inanem, ac irritum, et ut qui ex ista hæresi convertuntur, novo abluantur baptismo, ac deinde, si ita visum fuerit, ordines eis de novo conferantur, quales in sua hæresi indebite exercuerant. Prohibet tamen conversas ex eadem hæresi Diaconissas ad idem officium assumi, manusque ipsis imponi. Certe si ejusmodi in tota Ecclesia viginisset Disciplina, ne Diaconissæ manus impositionem subirent, supervacaneum esset id speciatim in Diaconissis, quæ Paulinistarum hæresim professæ aliquando fuissent, prohibere. Causa itaque hoc prohibendi ad præteritam hæresim referenda est. Patres enim Nicæni præcipue convenerant ad hæresim Arianam reprimendam in hoc cum Pauliniana convenientem, quia utraque Christo Divinitatem abrogabat. Quia vero præcipuum Diaconissarum officium in catechizandis feminis ad Baptismum adspirantibus versabatur, grave periculum erat catechumenarum institutionem feminæ committere, quæ in hæresi ultra sexaginta annos (quod est præsupponendum in conversis Diaconissis) consenuerit; et mutabile sexus ingenium causa plerumque est, ut earum fides vacillet post oppositam tot annorum professionem (3).

(7. Juvabit quoque altera distinctio, si ad Canonem Nicænum respondeas, excludi

stoli præscripto 1 Tim. v, univiras esse debuisse.

(2) Idipsum docuit Hallerius de Sac. ordinat. sectione 4, c. 2, § 6, n. 15.

(3) Paulo aliter Nicænum Canonem exponit Morinus de Sac. ordinat. P. III, Exercit. 10.

quidem Diaconissas a Sacramentali manus impositione, qualis procul dubio censenda est quæ in Diaconorum consecratione adhibebatur, non vero a pure cæremoniali, quam præfata Concilia in Diaconissis diserte requirunt, præcipue Chalcedonense: cujus canonis versio Dionysiana Græco exemplari perfecte conformis ait: « Si autem postquam manuum impositione suscepta, » etc. Græcum exemplar sic habet *εἰ δὲ γὰρ δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν*, etc. Si voce *χειροθεσία* uteretur, quæ nunc *suffragium* nunc *electionem* significat, res esset ambigua, sed vox quam adhibet *χειροθεσία* nihil aliud quam *manus impositionem* exprimit. Defervescente tandem pietatis ac Religionis studio, et gliscentibus Diaconarum vitis, deficiente pariter consuetudine Baptismum in proveciorem ætatem differendi, paulatim exolescere cœpit

## DIETA.

Vide verb. BENEDICTIO, art. 5, num. 10.

## DILAPIDATIO.

Vide verb. POENA, articul. 5 num. 93 ad 96.

## DIMISSORIÆ.

Vide verb. ORDO, art. 3, n. 36 usq. in fin.

## DIOECESIS.

## ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

## SUMMARIUM.

1. Hujus nominis notio in re civili. — 2. Et in

(1. Huic voci notio subest, eaque maxime propria, qua sumitur pro multarum Provinciarum tractu, quem a Viro spectabili olim moris erat administrari. Ut enim ex multis pagis una civitas, ex multis civitatibus una provincia; ita ex multis Provinciis una Diœcesis existebat, cui nec illustri præerat, nec clarissimus, sed spectabilis. Cum enim aliud fuerit unam Diœcesim regere, aliud Diœcesibus multis præesse, aliud Provinciam, erant tres Magistratus gradus: Clarissimi, qui Provincias regebant singulas; Spectabiles, qui Diœcesim integram; Illustres, qui multarum Diœcesium tractus.

(2. Hinc hujus vocis *Diœcesis* non una in Christianis veterum monumentis acceptio fuit. Ab Afris, Hispanisque Episcopis olim usurpata est pro territorio, ut loquuntur, Episcopali, ubi erant oppida contributa Metropoli, ut videre est in Africanis, et Toletanis Synodis. Sumitur ab aliis pro *ἐπαρχία* sive Provincia, in qua multi Episcopi pareant uni Metropolitanis: ita Hincmarus ad Nicolaum Papam. Sunt etiam, qui hoc nomine intelligant provincias illas omnes, quæ ad unum Patriarcham pertinent: sive re ipsa sint plures Diœceses civiles, sive una, sive

(1) In aliquibus tamen occidentalibus Ecclesiis ad sæculum VIII, et etiam post fuisse diaconissas tentas, evincunt cum diserta Venantii Fortunati, et concilii Wormatiensis testimonia, tum Ordo Romanus, alique Rituales libri; imo card. Bona nonnisi sæculo X aut XI, ubique in Ecclesia cessasse existimat Rer. Liturgic. lib. 1, c. 25. In Ecclesia vero Græca ad finem usque sæculi XII viguerunt; Balsamon enim earum meminit, tanquam suo ævo in

Diaconissarum ministerium. Siquidem sub ipso Leone primo habitum Arausicanum primum Concilium canone 26, de illis abolendis cogitans, ita decernit: « Diaconæ omnimodis non ordinandæ. Si quæ jam sunt benedictioni quæ Populo impenditur, capita submittant. » Quibus verbis eas quæ supersunt in statum redigit vulgarem, ac sæcularem. Deinde sub Hormisda Pontifice Concilium Epaonense sic decernit can. 21. « Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, sola pœnitentiæ benedictione, si converti ambiunt, imponenda. » Demum Aurelianensis secunda synodus sub Joanne Papa secundo, ita ordinavit can. 18. « Placuit etiam, ut nulli postmodum feminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur (1). »

Ecclesiastica re apud veteres varia. — 3. Nunc singularem Episcopi ditionem significat: quæ tamen notio quinto jam sæculo obtinuerat.

unius portio: ita Synodus Chalcedonensis Act. 10, et Justinianus novella 123, immo et his antiquior Synodus Arelatensis in epistola Synodica ad Silvestrum Romanum Pontificem, ubi his dicitur *maiores Diœceses tenere*; hoc enim nomine Patriarchales seu Romano Patriarchatui obnoxias Diœceses a Patribus Arelatensibus designatas fuisse jure Schelestratus animadvertit, frustra obnitentibus Caveo, et Binghamio Origin. Ecclesiast. lib. 9, c. 2, § 2.

(3. Nunc vulgo accipitur pro Episcopi unius ditione, quæ in oppida, pagos, titulosque Presbyterorum divisa est. Diœcesis hoc sensu usurpata quinto jam sæculo fuit ab Innocentio epist. 11, ad Florentinum, seu Florentium Tiburtinensem Episcopum, et a Toletano I. can. 20, ubi statuitur, « ex hac die nullum alium, nisi Episcopum Chrisma conficere, et per Diœcesim destinare. » Vide Ballerinos in adnotationibus ad Espist. 12, S. Leonis M. tom. 2, col. 1333, ubi Quesnellum refellunt. Cæterum prioribus Ecclesiæ sæculis quam nos Diœcesim Episcopi dicimus, *Parœciam* vocabant; immo etiam Patriarchalibus Ecclesiis id nomen tributum invenies apud Eusebium lib. 1, c. 1, et lib.

Ecclesia Constantinopolitana ministrantium. Sed de Diaconissis vide cum primis P. Joannis Zinii Bollandiani Tractatum Præliminarem ad tomum primum Septembris. Moneo tandem, Diaconissarum nomen a Scriptoribus Ecclesiasticis aliquando fuisse adhibitum ad significandam non veri nominis Diaconissam, sed Diaconi cujuspiam uxorem, quo sensu *Presbyteria* uxorem Presbyteri, *Episcopa* Episcopi uxorem denotabat. (EDIT. BARBIELL.)

11, c. 24, aliosque, sed ad denotandam non Patriarchalem, sed Episcopalem in Urbis, et

## DISMEMBRATIO.

## SUMMARIUM.

1. Dismembratio est quædam species alienationis. — 2. Probatur effectuatâ ex provisionibus secutis, et lapsu triginta annorum. — 3. Ut dismembratio dicatur effectuatâ, requiritur quod saltem fuerit capta possessio. — 4. Dismembratio enim dicitur effectuatâ per possessionis adeptionem, et fructuum perceptionem. — 5. Non censetur autem effectuatâ, ubi constat, quod Ecclesia continuet in possessione suarum responsionum. — 6. In Ecclesiæ dismembratione observantia subsecuta optime declarat, quidquid fuerit præcedenter actum. — 7. Dismembratio cum sit species alienationis, requirit omnes solemnitates requisitas in alienatione rerum Ecclesiæ. — 8. Alias ex defectu solemnitatum est nulla. — 9. Et sic, ut sustineatur, requiritur necessitas causæ, et evidens Ecclesiæ utilitas. — 10. Et hoc maxime pro dismembratione Ecclesiæ Parochialis, in qua requiruntur copulative solemnitas, et justa causa. — 11. Alias sine causa legitima, et solemnitatibus dismembratio non subsistit, si etiam agatur pro reparandis Seminariis indigentis. — 12. Item in Parochialis dismembratione requiritur vocatio Rectoris, vel, ea vacante, defensor ab Episcopo deputandus, et citatio Parochianorum, aliorumque, quorum interest. — 13. Si rector vocatus, noluerit consentire, potest Episcopus eo invito (si subsit justa causa) procedere ad talem dismembrationem. — 14. Justa causa dismembrationis est, ut vitetur periculum animarum. — 15. Non permittitur dismembratio, quoties Parochianis distantibus consultum est per Coadjutorem, qui possit Sacramenta ministrare in commodiori Ecclesia. — 16. Quo casu Rector persolvere debet mercedem Vicario deputato, salva tamen manente ipsius Congrua. — 17. Ubi per assignationem mercedis Vicario, Congrua Rectori non remaneret, in subsidium debent concurrere Parochiani. — 18. Dismembrari non potest Ecclesia Parochialis ob solam aucti populi numerositatem, nisi concurrant requisita Concilii. — 19. Neque dismembrari potest Parochialis propter angustiam, et de-

(1. Dismembratio est quædam species alienationis; Rota part. 7, recent., decis. 68, num. 1, et part. 10, decis. 90, sub num. 8, (2. Probatur effectuatâ ex provisionibus secutis; Rota par. 6, dec. 139, num. 5. Et ex lapsu 3 annorum Rota part. 6, dec. 275, num. 24. (3. Ut dismembratio dicatur effectuatâ, requiritur quod saltem fuerit capta possessio; Rota par. 4, tom. 2, decis. 446, n. 22. (4. Dicitur enim effectuatâ dismembratio, et applicatio per possessionis adeptionem, et fructuum perceptionem; Rota par. 4, tom. 3, dec. 648, n. 10. (5. Cum non censeatur effectuatâ, ubi constat, quod Ecclesia continuet in possessione suarum responsionum; Rota par. 3, dec. 222, num. 5. (6. In Ecclesiæ enim dismembratione observantia subsecuta optime declarat, quidquid fuerit præcedenter actum; Rota par. 4, tom. 1, dec. 497, n. 5, et par. 17, dec. 351, n. 10.

(7. Dismembratio, cum sit species alienationis, requirit omnes solemnitates requisitas in alienatione rerum Ecclesiæ; Rota par. 1, dec. 239, num. 1, part. 2, decis. 228, num. 4, et decis. 348, num. 2, part. 4, tom. 1, dec. 58, num. 11, part. 10, dec.

Oppidorum, vicorumque circa urbem jurisdictionem.

formitatem Ecclesiæ antiquæ, vel propter inundationem. — 20. Neque etiam sufficit, quod aliquando contigerit aliquos Parochianos decedere sine Sacramentis, dummodo tamen his omnibus provideri possit aliunde. — 21. In dismembratione Ecclesiæ Parochialis reservandus est Canon, seu recognitio aliqua annua faciendâ Matrici. — 22. Ecclesia dismembrata a Parochiali, consentiente Rectore, Auctoritate Episcopi, et justa de causa, dicitur jura Parochialia intra limites sibi assignatos habere exercibilia. — 23. Licet potuerit reservare sibi Ecclesia Matrix in signum subjectionis jus sepeliendi, vel similia, id debet expresse facere, alias omne id, quod non est exceptum, dicitur translatum in dismembratam Ecclesiam. — 24. Præservatio facta in dismembratione Ecclesiæ intelligitur de aliis juribus præterquam consecutivis ad ipsam dismembrationem. — 25. Dismembratio generaliter loquendo non præjudicat Ecclesiæ, a qua illa facta est, nisi in iis quæ litteris dismembrationis continentur. — 26. Per ipsam dismembrationem neque censetur præjudicatum personis habentibus Officia, seu Beneficia in Ecclesiis dismembratis. — 27. Dismembratio Ecclesiæ regulariter non præjudicat Episcopo, et Capitulo super exactionem decimarum. — 28. Maxime loquendo de decimis prædialibus, quæ non transeunt ipso jure ad Parochialem noviter erectam, sed remanent apud Parochiam matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Tridentini assignaverit. — 29. Decimæ tamen personales, seu Sacramentales transeunt ipso jure in Parochialem noviter erectam, etiam ante ullam Episcopi assignationem. — 30-36. Concurrente justa causa, olim haud deveniebatur ad dismembrationem Parochiæ, ubi prospici posset retentione Capellani in aliqua Capella, qui præsto esset necessitatibus Parochianorum. — 37. Postea S. C. Concil. id prohibuit. — 38-59. Etiam cum retentione duorum Capellanorum. — 40. Quænam causa dismembrationis. — 41. Non ab ea regula desumenda. — 42. An consensus omnium vel majoris partis Parochianorum requiratur ad dismembrationem.

224, num. 5. (8. Alias ex defectu solemnitatum est nulla; Rota par. 10, d. dec. 224, num. 9. (9. Et sic, ut sustineatur, requiritur necessitas causæ, et evidens Ecclesiæ utilitas; Rota part. 4, decis. 68, num. 15, et part. 10, decis. 224, num. 4. (10. Et hoc maxime pro dismembratione Ecclesiæ Parochialis; Rota par. 19, tom. 2, decis. 578, num. 1, et 7, ubi solemnitas, et justa causa copulative requiruntur; Rota par. 7, dec. 68, num. 9. (11. Alias sine causa legitima et solemnitatibus dismembratio non subsistit; Rota par. 13, dec. 29, num. 1. Etiam si agatur pro reparandis Seminariis indigentis, quia licet possint dismembrari pro Seminariis Beneficia simplicia, Beneficia tamen Curata a Concilio Tridentino sess. 25, cap. 16, *de reformat.* omnino dismembrari prohibentur, ut advertit Gonzal. ad Regul. 8, Gloss. 5, § 7, num. 63, et 64, Rota par. 13, dec. 29, num. 4. (12. Item in Parochialis dismembratione requiritur vocatio Rectoris, vel ea vacante, Defensor ab Episcopo deputandus, et citatio Parochianorum, aliorumque, quorum interest; cap. 1, de rebus Eccles. non alienand. in 6, cap. 1, *Ne sede vacante*; Rota part. 13,